Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Bethicæ.

Stantibus &c.

Dubium = *An subsistineatur Electio Prouincialis, de qua agitur in casu &c.*

1 Eme, & Rme Dñe. CVm tota Prouincia Bethicæ Ordinis Carmelitarum, existens sub gubernio Reu. P. Magistri Iosephi Gonzalez de Sandoual, tamquam Vicarij Prouincialis, commota, turbataque reperiretur cum magno religiosæ obseruantiæ præiudicio, Populorumquè illius Prouinciæ scandalo, vt vix Domus esset, in qua dictus Vicarius Prouincialis Priorem, vel Rectorem vi, aut dolo non deposuisset, aliumque suæ affectionis in eius locum ad numerum suffragantium in futuro Capitulo augendum,non suffecisset;Nec non de mense Aprilis Anni 1725. conuocari deberet Capitulum, ad effectum eligendi Prouincialem, zelantissimus Pater Magister Generalis totius Ordinis Carmelitarum, vt dissidia, & scandala componerentur, & pax, tranquillitas, & obseruantia Prouinciæ restitueretur, mediante electione Prouincialis omni exceptione maioris, attento quod ipse Pater Magister Generalis personaliter celebrationi dicti Capituli Prouincialis adesse non poterat, oportunum duxit, supplicare Excellentissimo, & Reuerendissimo Domino Ludouico de Salzedo Archiepiscopo Hyspalensi, vt dignaretur Præsidentis munus in dicto Capitulo suscipere, cum omnibus, & singulis facultatibus eidem Patri Magistro Generali competentibus, & præsertim nominandi quos libuerit Religiosos Viros, ad Prouincialatum eligendos, nec non dispensandi, vt suffragare possent Patres Diffinitores anteacti gubernij,& latiùs in Epistola à dicto Patre Magistro Generali, sub datum 5. Octobris Anni 1724. dicto Excellentissimo, & Reuerendissimo Domino Archiepiscopo directa, de qua in præsenti *Summario Num. primo litt. B.*: Et ex alia diei 16. Nouembris eiusdem Anni, in qua vltrà generales, & speciales facultates, eidem Excellentissimo, & Reuerendissimo Archiepiscopo in præcedenti Epistola tributas, addidit etiam aliam specialem potestatem assumendi sibi in Socium vnum ex Religiosis dictæ Prouinciæ ad sui libitum, nec non dispensandi cum Patribus Definitoribus, vt in progressu Capituli suffragium ferre possent, & denique puniendi secundum Ordinis Statuta omnes illos Religiosos, qui recusarent obedientiam ipsius Exmi,

& Rmi Præsidis, mandatis præstare *Summario dicto Num. primo litt. C.*

2 Ad hoc autem, vt eadem destinatio dictæ qualificatissimæ Personæ in Præsidem eiusdem Capituli Prouincialis suum haberet effectum, mediante speciali Breue Sanctissimi Domini Nostri sub datum diei 12. Decembris eiusdem Anni 1724. eadem facultas Patris Generalis, vnà cum insertione omnium Epistolarum circà hanc materiam scriptarum, confirmata, & approbata fuit, cum amplissima derogatione quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Statutis, Consuetudinibus, Indultis, aut Priuilegijs nostri Ordinis, quomodocumque in contrarium forsan facientibus, *Summario dicto Num. primo à litt. A. vsque ad litt. D.*

3 Aduento tempore aperitionis dicti Capituli, congregatisque in Aula Capitulari omnibus Vocalibus die 25. Aprilis Anni proximè præteriti 1725., in Vigilia Electionis Prouincialis dictus Excellentissimus, & Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus per Patrem Magistrum Iosephum Moreuum, Socium, & Secretarium Prouinciæ mandauit legi non solùm dictas facultates, & Epistolas Patris Generalis, necnon Apostolicum Breue confirmatorium earumdem, *Summario dicto Num. primo in princ.*; Verùm etiam nouissimum Mandatum Reuerendissimi Apostolici Nuncij in Hyspaniarum Regnis, degentis, sub datum diei 6. Februarij 1725., in quo Apostolica authoritate, in virtute Sanctæ Obedientiæ sub pœna priuationis Vocis, actiuæ, & passiuæ, & etiam Officiorum, quæ obtinebant Religiosi Vocales, alijsque arbitrarijs pęnis, præcisè iniungebatur punctualis exequtio dicti Breuis SSmi D. Nostri in omnibus suis partibus *Summario d. n. 1. litt. E.*

4 Habita deinde per dictum Excellentissimum, & Reuerendissimum Dominum Præsidentem eleganti Oratione de pace seruanda, deuentum fuit ad electionem Officialium Capituli; Ad examen Literarum Sociorum Conuentuum; Ad legitimationem viginti quinque R.R. P.P. Magistrorum de numero; ET AD ALIA, quæ in similibus præliminaribus Sessionibus, tàm de Iure, quàm de consuetudine præmitti solent, fueruntque omnia ad trinam interrogationem Excellentissimi, & Reuerendissimi Præsidentis vnisona voce ab omnibus Vocalibus approbata; SOLVMQVE pari consensu omnium Vocalium exclusi fuerunt à ferendo suffragio, vti non habiles, neque capaces P. M. Ioannes Diez de TEXADA, Vicarius Rector Conuentus Sancti Alberti, vti servatis omnibus seruandis ab Apostolico Iudice Excommunicatus, & P. Ferdinandus de Mugnos Prior Conuentus Vrsaonensis, ex quo fuerat institutus Vicarius Prior, infra octo Menses citra ante Capitulum in quibus admitti non poterat renunciatio Officij

Officij antecedentis Prioris, iuxtà Constitutiones nostri Ordinis in *part.2.cap.2.de Officio Prioris,num.12.*, proùt hæc omnia latiùs patent ex *n.1.nostri Sum.lit.F.*

5 Die sequenti conuocatum pariter fuit Capitulum pro secunda Sessione, perlectisque publicè, & palam per illius Secretarium omnium Vocalium nominibns, ad trinam Excellentissimi, & Reuerendissimi Præsidis interrogationem, nemo ex Conuocatis contra dictos Vocales minimum verbum protulit, *Summario num.2.*: PROINDEQVE Processum fuit ad electionem Definitorum, contra quàm pariter nemo ex Vocalibus os aperuit, imò illam summa pace approbarunt, *Summario dicto Num.2. litt.A.*: Postea verò Pater Magister Ioseph Gonzalez Sandoual, qui vsque tunc Vicarij Prouincialis Officium exercuerat, in medio Aulæ Capitularis positus, illud dimisit, *Summario dicto Num.2. litt.B.*

6 Dominus autem Excellentissimus, & Reuerendissimus Præses declarando, se velle vti omnibus facultatibus, sibi attributis, ad Officium Prouincialatus proposuit Capitulo sex qualificatos Magistros, & insignes Religiosos, quorum nomina registrantur in *Summario dicto Num.2. litt. C.*, omnesque Vocales coràm Sanctissimo Crucifixo publicè, & palàm Iurarunt, velle eligere eum, quem secundùm Deum digniorem, magisque idoneum existimabant, *Sum.d.n.2.lit.A.B.C.*

7 Quibus legitimè peractis, seruatisque omnibus de Iure, & ad terminos nostrarum Constitutionum seruandis, deuenerunt Vocales ad Prouincialis electionem per secreta Suffragia, quæ aperta fuerunt postquàm per tres vices Excellentissimus, & Reuerendissimus Præses eos interrogauit, an vellent aperitionem dictarum Schedularum, & postquàm per totidem vices omnes vna voce responderunt, APERIANTVR, *Summario dicto Numero 2. littera D.*

8 Ex septuaginta autem nouem Votis, ex quibus componebatur idem Capitulum, septuaginta quinque recognita fuerunt fauore Reu. Pater Magistri Didaci Thomæ de los Rios, duo in albo, totidemque fauore Patris Iosephi Gonzalez Sandoual, VNDE Excellentissimus, & Reuerendissimus Præses Capituli post trinam interrogationem factam circa validitatem electionis, & post tres vniformes responsiones omnium Vocalium, quod illa legitima, & Canonica esset, ad maiorem firmitatem eiusdem Electionis suam authoritatem per hæc verba interposuit: *EGO NOMINE MEO, ET NOMINE ISTORVM ELIGENTIVM ELIGO IN PROVINCIALEM HVIVS PROVINCIÆ BETHICÆ REV. P.M. FR. DIDACVM THOMAM DE LOS RIOS*; EVMQVE sic electum instituit, nominando in Socium suæ Visitationis, & Secretarium Reu. P. M. Iosephum

 de

de Ouiedo, combustisque Schedulis Electionis, coràm toto Capitulo, Sessio æquali pace, ac applausu terminata fuit, & Prouincialis Electio absoluta remansit, *Summario dicto Num. 2. litt. D.*

9 Deuentum successiuè fuit ad alias solitas, & necessarias sessiones; AD TERTIAM, in qua deuenerunt Vocales ad electionem Sociorum, & Definitorum pro Capitulo Generali, necnon ad electionem Custodum Prouinciç, absque vlla contradictione expletam, *Summario num.* 3. AD QVARTAM, in qua Priores omnium Conuentuum Prouinciæ sigillum cum statu Conuentuum exhibuerunt, *Summario num.* 4. AD QVINTAM, in qua processum fuit ad electionem Priorum Conuentuum, seruatis omnibus de Iure, & ad terminos nostrarum Constitutionum seruandis, *Summario num.* 5. AD SEXTAM, in qua perlectæ fuerunt Petitiones, & Instantiæ aliquorum Religiosorum eidem Capitulo porrectæ: *Summario num.* 6. AD SEPTIMAM, in qua deputati fuerunt Vicarij, & Confessores Monasteriorum Monialium nostri Ordinis, necnon captæ fuerunt multæ prouisiones, fueruntque responsiones multis alijs petitionibus diuersorum Religiosorum in eodem Capitulo exhibitis *Summario num.* 7. AD OCTAVAM, in qua fuerunt designati Iudices Causarum Criminalium, & edita nonnulla decreta, pro bono regimine Prouinciæ, *Summario num.* 8. AD NONAM denique vsque ad decimam octauam, in quibus captæ fueruut multæ aliæ prouisiones, & factæ fuerunt aliæ deputationes, quarum relationem tamquam non necessariam gratia breuitatis omittimus; DE QVIBVS OMNIBVS supra recensitis constat, ex Actis originalibus dicti Capituli Prouincialis, summa pace approbatis, & subscriptis à RR. PP. Didaco Thoma de los Rios, Prouinciale electo, Iosepho Gonzalez Sandoual, Vicario Prouinciali absoluto, Matthia de Lear Exprouinciali, & à quatuor PP. Definitoribus à P. Socio Excellentissimi, & Reuerendissimi Præsidentis, à Socio, & Secretario Prouinciæ, & à Socio Capituli, *Summario num.* 9. AVCTORITATE demùm Generalitia, & Apostolica approbata, & confirmata omnia fuere per præfatum Excellentissimum, & Reuerendissimum Dominum Archiepiscopum, tamquam Præsidentem *Summario num.* 10.

10 Canonica hæc Electio, approbata deinde, & confirmata fuit, præuio Definitorij Generalis Voto, à Reuerendissimo P. Gaspare Pizzolante, totius Ordinis Carmelitarum vigilantissimo Generale, illaque toti Prouinciæ notificata, mediante circulari Epistola ab eodem P. Generale scripta, & transmissa omnibus Superioribus Conuentuum Prouinciæ Bæticæ sub datum diei 26. Maij 1725. *Summario num.* 11. IN QVORVM omnium sequelam, & exequtionem Religiosi omnes Conuentum nostræ

Pro-

Prouinciæ vſque ad numerum viginti quinque, capitulariter congregati in vnoquoque ex dd. Conuentibus, nemine diſcrepante electionem prædictam approbantes, P. Prouinciali in illa electo, obedientiam promiſerunt *Summario num.* 12.

11 Ex quibus omnes illi, ad cuius notitiam talis pacifica electio deuenerat; cum omni fundamento credebant, illa mediante, omnia fuiſſe in pace compoſita, ſublataſque perturbationes illas, & diſcordias, quæ ante dictam Electionem noui Prouincialis totam Prouinciam miſerrimè conturbabant, religioſamqua obſeruantiam impediebant, necnon poſſe impoſterum cum magna pace, & æquali tranquillitate Religioſorum, vigere in illa regularem obſeruantiam.

12 Verùm defraudati fuerunt in hac parte, quia non defuerunt in illa parui diſſeminatores Zizaniæ; CVMQVE RVMOR irrepſerit, quod nonnulli Religioſi, authores præcedentium diſſentionum, & ſcandalorum, recurrere volebant aduersùs electionem Partis Prouincialis, deque illius nullitate dicere, idem rumor peruenit etiam ad aures ſæpedicti Excellentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. Archiepiſcopi Hiſpalenſis, qui eidem electioni ex Apoſtolici Nuncij decreto, & Regnantis Summi Pontificis Oraculo præfuerat, omniaque præordinauerat ad pacem reddendam noſtræ Prouinciæ, neque ſine eis magnis incommodis, Teſtibus multis Religioſis, quorum Atteſtationes exhibitæ exaduerſo fuerunt in Secretaria, inter quos P. M. Peſtagna, interrogans P. M. de Lara Qualificatorem S. Officij, ſequens habuit reſponſum; AMICO SONO OTTO, O' NOVE GIORNI, CHE STO' LAVORANDO IN QVESTO CONVENTO CON L'ILLVSTRISSIMO MONSIGNOR ARCIVESCOVO DI SIVIGLIA SOPRA IL CONTO DEL CAPITOLO, ACCIO' CHE SI FACCIA CON LA MIGLIOR PACE, CHE SIA POSSIBILE.

13 Idem autem Excellentiſſimus, & Reuerendiſſimus Præſes motus ab eius notorijs Zelo, iuſtitia, alijſque virtutibus quibus eum inſigniter cumulauit Altiſſimus, neceſſarium duxit, mediante Epiſtola, quam ex ſpeciali gratia legere ſupplicamus in noſtro *Summario num.* 13. ſub die 26. Auguſti 1725. omnia ea, quæ in dicto Capilo euenerunt, ad pedes Sanctiſſimi Domini Noſtri deferre, eique aperire circumſtantias omnes dictæ Electionis, inter quas omnem attentionem meretur illa, quod in toto progreſſu, & terminatione Capituli nulla vox audita fuerit, nullaque cunctatio interpoſita à dicto maximo numero ſeptuaginta nouem Vocalium, antea inter ſe nullatenùs concordantium, ſed in plures factiones miſerè exciſſorum, ſincerè eidem narrando, quod ante celebrationem dicti Capituli, = *Vix Domus eſſet, in qua Vicarius Prouincialis Priorem, vel Rectorem vi, aut dolo non depoſuiſſet, aliumque ſuæ affectionis in eius locum ad numerum ſuffragantium in futuro Capitulo augendum non non ſuffeciſſet. Subdendo alteriùs COMPERI NVNCIVM APOSTOLICVM Hiſpanum de ijs,*

violentijs cognouisse, omnesque tam inordinatas, & iniustas prouidentias reuocasse; FABVLA ERAT INTER GENTES obseruantissimæ olim Prouinciæ generale dissidium, & contentio; sunt eius præcisa verba in dicta Epistola data in *Summario citato num.13.*

14 In qua parte omnem meretur fidem, siuè attendantur eius personales eximiæ qualitates, siuè auitæ, vt de primis habemus *Textum in Can. Nobilissimus 97, dist.* ibi = *Nos tamen &c. eius grauitatem, & eloquiorum illius veridicas agnoscentes assertiones*, cum concordantibus sequutis *à Rota in decis.378. num.13. coram Celso, & decis.83. num.26. coram Ansaldo, & decis.401. num.9. cor. Emerix Iun., & in Romana Hæreditatis* 1. *Februarij* 1715. §. *Ex Testamentario, coram Reuerendissim. Crispo*, & de secundis *Gloss. in leg. Testium § Ideoque ff. de Testib. Alex. cons.5. num.7. lib.1. & Rot. decis.340. num.7. cor. Ludouis. & decis.262. n.13. & decis.1101. num.12. & 13. cor. Emerix iun. & decis.26. n.17. part.18. recent.*

15 Præcipuè quia ad augendam illius fidem circa omnia ea, quæ peracta fuerunt in nostro Capitulo, de eodem Excellentissimo, & Reuerendissimo Præside verificantur ea, quæ de se ipso scripta reliquit *S. Ioannes Epistola* 1. *in princ.* ibi = QVOD AVDIVIMVS, QVOD VIDIMVS OCVLIS NOSTRIS, QVOD PERSPEXIMVS, ET MANVS NOSTRÆ CONTRECTAVERVNT &c. HOC TESTAMVR, ET ANNVNCIAMVS.

16 Quia verò Sanctissimo Domino Nostro placuit præfatorum omnium cognitionem huic Sacrosancto Consessui demandare, originalem Epistolam dicti Excellentissimi, & Reuerendissimi Præsidis transmittendo, in illius sequelam contingit hodiè disputare sequens dubium; AN SVBSTINEATVR ELECTIO PROVINCIALIS PROVINCIÆ BÆTHICÆ.

17 Speramus autem, & enixis precibus supplicamus, eidem Dubio affirmatiuè responderi; Eo quia si recognoscantur Acta omnia Capitulorum Prouincialium nostræ Religionis, & peruoluantur Chronicæ omnium aliarum Religiosarum Familiarum, vix reperiri poterit aliud Prouinciale Capitulum, tot, tantisque solemnitatibus munitum, tantaque pace, & vnione Vocalium incæptum, prosequtum, & terminatum, quale est illud, de quo disputamus, cum Præsidentia qualificatissimæ Personæ, ex Primatibus Hispaniarum, totique Orbi notissimæ, non ex propria voluntate, sed ad enixas, replicatasque preces Patris Generalis roboratas Epistolis Hispaniarum Nuncij, & quod magis est, raro exemplo, mediante etiam speciali Breue Sanctissimi Domini Nostri.

18 Et tamen tot, & tanta aduersùs validitatum eiusdem Capituli, proprio Marte, gratis vbique, à paucis illis Religiosis, qui, ità exigentibus eorum demeritis, non obtinuerunt in illo Superioritates, & Dignitates, vt mirum certè videatur, quod serena fronte

fronte exagerentur hodiè sub sola fide, & affectatis attestationibus Aduersariorum, illorum numerum multiplicantium cum notis Conuentuum, ad proprium libitum confictis, ac si in Iudicijs permissum eis esset eodem tempore tres figuras facere; Principalium nimirum, Accusatorum, & Testium, aduersùs litteralem dispositionem *Textus, in l.5. Cod. de Testibus*, ibi = *Omnibus in re propria dicendi Testimonium facultatem, Iura submouerunt*.

19 Præcipuè quia ex reuolutione contrariarum Scripturarum in Secretaria exhibitarum videntur applicari ea, quæ ad disparatum effectum his verbis improbat *P. Segneri nella Predica 35. n.9.* = *In questa Causa sono l' istessi Accusatori, Emoli, e Testimonij*.

20 Et quod magis est ex peruolutione earundem Scripturarum exaduersò in Secretaria exhibitarum, remanet manifestum, de illis verificari ea, quæ sequendo *Petrum de Monte* obseruauit *Galies. in Vindicijs pro Iustitia Annatarum num.23.* ibi = *Omnia plena sunt odii dissidij, & ambitionis*.

21 Licèt autem pro validitate nostræ Electionis superabundare videatur solidum illud Iuridicum Axioma, vno ore inter Canonistas recæptum, & in praxi in omnibus Tribunalibus quotidie approbatum, quod quælibet Electio præsumatur valida, validèque facta, *Text. in cap. In præsentia*, vbi *Glos, verb. doceat de Renunciatione: Abbas in cap. licèt Episcopus num.3. & seqq. de Præbendis in sextò. Ioannes Andreas in cap. sicut, num.11. versic. ex hoc videtur, de Sententia, & Re Iudicata. Rota decis.379. num.13. part.4. tom.1. & coram Benincasa dec.274. num.2.*

22 Fortiùs habendo præoculis duplicem circumstantiam.

23 Prima consistit in illius confirmatione, seruatis seruandis facta à P. Generali nostræ Religionis, quam magnifaciunt, *Innoc. in cap. quia in cunctis de Concess. Præbend. Passerin. de Election. cap.33. num.25. Sigismund. ad Bonon. eodem tract. dub.42. num.1. & Rot. dec.13. num.2. vers. Quia non præsumitur in Antiquis*.

24 Secunda verò innititur exequutioni, & acceptationi dictæ Electionis, ab omnibus Conuentibus facta, & in pacifica possessione Prouincialatus, in qua reperitur Principalis, egregiè *Geminian. in cap. licèt Episcopus num.12. vers. si autem possessor, de Præbendis in sextò*, ibique *Abbas num.3. vers. si autem*, cum alijs apud *Rot. dec.244. num.36. & 37. part.8. rec., & dec.2341. num.42. coram Coccin.*

25 Et tamen adhoc, vt vndique appareat, manibusque palpetur insubsistentia omnium contrariarum criticationum, specialiter percurrendo illas, quæ desumi possunt ex contrarijs Scripturis, in Secretaria exhibitis, dicimus, quod

26 Non obstat primò quod à votando fuerint exclusi duo Vocales, nempè P. Ioannes Diez de Fezada Vicarius Rector Conuentus S. Alberti, & P. Ferdinandus de Mugnos Vicarius Prior Conuentus Vrsonensis, *nostro Summ. dicto num.1. lit.F.*

27 Quia primus, nempe P. Fezzada tamquàm excommunicatus à Iudice per Sedem Apostolicam deputato, omni Iure incapax

erat

erat ad votandum, *Cap. Postulastis de Cleric. excomm.*, *& cap. 1. de Rescript. in 6.* cum notissimis apud *Passer. de Election. cap. 25. n. 445. à pluribus sequentibus, & Rot. cor. Ansald. dec. 61. n. 32.*

28 Quod autem esset talis, vltra probationem illam, quæ resultat ex actu, gesto coram omnibus Vocalibus, & ex admissis, & recognitis ab eisdem in Capitulo Prouinciali, de quo *nostro Summ. dicto num. 1. lit. F.*

29 Ad oculum demonstratur ex Relatione Reuerendissimi Antonij Fernandez de Raso, Iudicis delegati à Reuerendissimo Hispaniarum Nuncio, ad effectum manutenendi in muneribus, & Officijs Priorum, & Lectorum, Religiosos illos, qui tempore Vicariatus Prouincialis Patris de Sandoval facto priuati fuerant eorum officijs, alijque cum euidenti Iniustitia absque vlla legali Causa in eorum locum fuerant subrogati; Quæ omnia recognoscere supplicamus *in nostro Summ. num. 14.*

30 Ex quo vlteriùs resultat, quod dictus P. Fezzada æqualibus iniustitia, ac violentia non solùm se intruserat in dicto Prioratu Sancti Alberti, sed vlteriùs carceribus mancipauerat nonnullos graduatos Religiosos dicti Conuentus obedientiam eidem præstare recusantes.

31 QVA DE CAVSA à d. Apostolico Delegato, seruatis seruandis publicè denunciatus fuerat excommunicatus, vnà cum d. P. Sandoual Vicario Prouinciale, & P. Damiano de Molino Vice-Rectore eiusdem Collegij S. Alberti, qui omnes confæderatione inter se ipsos inita eisdem Apostolicis Mandatis parere recusabant *Summ. dicto num. 14.*

32 Ad quam contumaciam reprimendam coactus fuit idem Apostolicus Delegatus, à Notario, & Iustitiæ Ministris de more associatus, ad Conuentum se personaliter conferre, eosdemque iniustè carceratos pristinæ libertati restituere; QVA OCCASIONE quia dicti P. Sandoual Vicarius Prouincialis, & Damianus de Molino humiliter ab eodem Apostolico Delegato absolutionem petierunt, illam benignè obtinuerunt; Non meruit tamen illam obtinere dictus P. Fezzada, quia in sua obstinatione persistens nullam instantiam ad dictum effectum fecerat, proùt omnia hæc latiùs recensentur *in dicto nostro Summ. num. 14.*

33 Secundus verò, nempe P. Ferdinandus de Mugnos, Vicarius Prior Conuentus Vrsaonensis æquali Iustitia à votando exclusus extitit, eo quia ad dictum Prioratum palpabili nullitate admissus fuerat intrà octo menses, præcedentes Prouinciale Capitulum, quæ temporis circumstantia in facto innegabilis est, in Iure verò cubitalibus istis literis præscribitur, & irritantur a nostris Constitutionibus similes impropriæ mutationes, & subrogationes Priorum *in libro 2. parte 2. cap. 2. num. 11. Inhibemus, ne Prouinciales imposterum infra octo Menses immediatè, præcedentes Capitulum Prouinciale, celebrandum valeat admittere renunciationem alicuius Prioratus &c. Et insuper ex nunc pro tunc irritam, & nullam declaramus omnem renunciationem cuiuscumque Prioratus, & prouisionem inde sequutam noui Superioris.* Non

34 Non obſtat ſecundò, quod inter Electores admiſſi fuerint aliqui inhabiles ad votandum; oppoſitum enim euidenter conuincitur ex animaduerſis ſupra, & probatis *in noſtro Summ. n.1., & præcipuè litt.F.* Ex quo reſultat, quòd in ſeſſione habita pro Vocalium legitimatione Excellentiſs.,& Reuerendiſs. Præſes in communi, & in particulari, ter petijt à Vocalibus, an in Capitulo congregati aliquos haberent defectus, propter quos admitti non deberent ad votandum, poſt quam interrogationem conticuere omnes, nullaque vox audita fuit, vel minimum defectum in Vocalibus patefaciens.

35 Rursùs Capituli Secretarius ante effectiuam electionem, omnium Vocalium nomina publicè, & palàm legit, & quià nemo poſt trinam interrogationem Excellentiſſimi, & Reuerendiſſimi Pręſidis aliquid reſpondit, idem Præſes legitimos declarauit omnes Vocales; PERPERAM PEOPTEREA opponitur nullitas aliquorum admiſſorum ad ſuffragium ferendum, dum in actu adeò ſerio, & publico pro legitimis habiti fuerunt ab omnibus Vocalibus, abſque vlla minima contradictione; Præcipuè quià in noſtris Conſtitutionibus in iſtis terminis determinatur, non poſſe ampliùs aliquid opponi contra Electores, vt recognoſci poteſt *in parte* 4. *cap.*11. *num.*2. ibi = *Omnes Gremiales à Præſidente interrogentur, ſi in aliquo Sociorum, aut Magiſtrorum ſciant aliquod impedimentum, propter quod non deberent habere locum, quod ſi reperiatur confeſſum, aut ſufficientèr probatum, ſtatìm eiciatur, antequàm vltrà procedatur* =

36 Non obſtat tertio ad inducendam prætenſam nullitatem reſtrictio ſex Religioſorum facta ab Excellentiſſimo, & Reuerendiſſimo D. Præſide, vt vnus ex illis tantùm eligeretur à Vocalibus; Talis enim obiectio deſtruitur ex noſtris Conſtitutionibus *par.*4. *de electione Prouincialis num.*2., vbi determinatur, quod nullus poſſit eligi in Prouincialem, niſi fuerit nominatus, & præſentatus Gremialibus Capituli à Priore Generali, vel eius Vicario, de ipſius aſſenſu.

37 Præſentatio igitur, ſeù nominatio dictorum ſex qualificatorum Religioſorum, facta ab Excellentiſſimo, & Reuerendiſſimo Præſide redargui nullo modo poteſt, vti expleta nomine Patris Generalis, ad terminos ampliſſimæ facultatis, à dicto P. Generali eidem attributæ *Summ. dicto num.*1. *litt.B.* ibi = *Cum ea poteſtate, qua nobis præſentibus vti liceret, inter cætera vero cum facultate nominandi quos libuerit Religioſos Viros ad Prouincialatum, extra quorum numerum, vel conditionem non poſſit alius eligi, ſicuti per Conſtitutiones Ordinis ſancitum eſt*=

38 Cumque eadem ampliſſima facultas à P. Generali Excellentiſſimo, & Reuerendiſſimo Præſidi conceſſa, confirmata in ſpecie fuerit à Sanctiſſimo D. Noſtro, eſt mæra vanitas prætendere nullitatem ex hoc capite; attenta præcipuè ampliſſima illa derogatione, omnibus, & quibuſcumque ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, Statutis, & Conſuetudinibus, alijſque

in

in contrarium facientibus, *Summ. d. n. 1. litt. A.* & *D.*

39 Non obstat quartò prætextus violentiæ, quæ asseritur illata Vocalibus; Mirum siquidem in rei veritate est, quod tanta Dos in scripturis exaduerso exhibitis in Secretaria detur huiusmodi verè friuolo prætextui neque per vmbram authenticis documentis comprobato, qui colorari nullo modo potest ab illis quatuor, vel quinque Iustitiæ Officialibus, qui accesserunt cum Delegato Apostolico ad liberandum à carceribus pauperes illos Religiosos, de mandato Vicarij Prioris Conuentus S. Alberti in illis detentos, dum illi non accesserunt ad alium finem, quàm ad superandam obstinationem dicti Vicarij Prioris inaudita temeritate nolentis excarcerare dictos Religiosos post repetita mandata Rm̃i Hispaniarum Nuncij.

40 Sed quod magis est prætextus iste nullatenùs in facto probatus, ad euidentiam vsque excluditur ex illo innegabili facti circumstantia, quàm superlutiuè probant scripturæ exaduerso in Secretaria exhibitæ, inter quas enasclica illa Epistola hodierni Patris Prouincialis sub rigorosis pęnis mandantis, *à tutti li Religiosi nostri Sudditi, che furono Vocali in detto Capitolo, di qualsisia condizione, ò grado, in virtù di Santa Obedienza, che subito, che nella Communità sentiranno legere, e publicare questo nostro dispaccio, deponghino con giuramento, e dichiarino, di modo che faccia fede &c. del successo nel congresso del detto Capitolo, tanto per quello, che appartiene alla Presidenza di detto Arciuescouo, come anche se per detto Arciuescouo furono forzati à dare il loro voto per il Prouinciale, e se questo lo diedero di sua libertà, come si richiede in atto così religioso &c. Tutto dichiarino distintamente, come in conscienza potranno, e se li fù fatta alcuna violenza, dichiarino, come, in che modo, e da chi &c. acciòche da tutto così dichiarato auanti la Sagra Congregatione si veda la verità, prudenza, e religiosità, con la quale questa nostra Prouincia operò.*

41 In exequutionem siquidem huiusmodi rigorosissimi præcepti sub pæna adeò rigorosa, & Sanctæ Obedientiæ præcepto, nullus ex tot Religiosis, qui Votum in nostro Capitulo Prouinciali dederunt ausus fuit asserere, sibi vel minimã illatam fuisse violentiam, sed solùm tres, vel quatuor loco veritatem fatendi in hac parte, vt alij omnes libera voce fassi fuerunt, se excusarunt à respondendo, & parendo eidem præcepto, sub prætextu, quod non tenebantur obedire Prouinciali, attento quod Causa pendebat coram hoc Sacrosancto Consessu, qui prætextus quantùm friuolus sit, de se patet, quià non ad alium finem P. Prouincialis ità demandauerat, nisi ad hoc, vt veritas huic Sacræ Congregationi in sua puritate appareret, & nota esset.

42 Non credimus autem exaduerso verba facienda esse de horrendo simoniæ crimine, adeò diuino, humanisque Iuribus exoso, vt inter grauiora crimina à Summis Pontificibus repositum fuerit, hæresique comparatum, vt obseruant *Clarus in praxi §. Simonia num. 11. & Raynald. tom. 11. obser. crim. ad cap. 32. supplexione 7.*

ne 7. num. 18. Imò Lucius I. *in cap. Sicut de Simon.* asseruit simoniacam pestem sui magnitudine alios morbos vincere; Innocentius verò III. *in cap. Per tuas eod. tit.* asserere non dubitauit, cætera crimina in simoniæ comparatione quasi pro nihilo reputari.

43 Dùm vnus, vel alter ex Aduersarijs, qui de illo ausus fuit verba facere in contrarijs scripturis, non sine mysterio vsus fuit verbo illo *ò inteso* neminem specificando à quibus intellexerit, vel somniauerit audiuisse quem modum loquendi *Card. Pallauic in Istoria Concilij tridentini lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 17. perbellè vocat *maniera eccellente per non potere essere conuinto di falsità*. Et nos subdimus, quod si in qualibet materia regulare est non esse præstandam fidem Testibus de auditu ex adductis *à Farinace. de Testib. quæst.* 49. *num.* 2. *& Rot. coram Bich. dec.* 653. *num.* 6. Quantò magis hoc verum erit in detestabili, omnibusque Iuribus exoso, & inuiso simoniæ crimine, quod requirit concludentes, & perfectissimas probationes *iuxtà magistralem S. Rotæ decis.* 207. *per tot. & signantèr num.* 19. *par.* 17. *rec.* vbi quod neque probatur ex pluribus Testibus, vniuocè deponentibus de publica voce, & communi fama, eò quia illa procedere potuit à maleuolis, quod vtinam respectu huius solemnissimæ calumniæ in hac causà non verificaretur.

44 Fatendo tandèm ingenuè nostrã imbecillitatem, nescimus percipere quid exaduerso prætendatur inferri ex illa magna mole scripturarum exaduerso in Segretaria exhibitarum circa electionem Principalis in Prouincialem nostræ Prouinciæ anno 1715. Cum enim eiusdem temporis magnæ calamitates, & maiores infelicitates, Vrbi, & Orbi notissimæ, & æquè dura, ac amara necessitate non permisèrint in dicta electione ad vnguem seruari posse omnes illas solemnitates, quæ præscribuntur in nostri Ordinis Constitutionibus, amaræ circumstantiæ dicti infelicissimi temporis non sunt hodiæ ad memoriam reducendæ, dum Deo dante aperta est ampla, & spatiosa porta procedendi per semitas rectas Apostolicarum Constitutionum, & vias planas ...

45 Absque vlla prorsùs difficultate, ex quo inter easdem scripturas in Segretaria exhibitas, registratur etiam illa, qua mediante præuio Voto huius Sacræ Congregationis ad relationem clar. mem. Card. S. Priscę die 22. Ianuarij 1715. eadem electio sanata fuit; Cum enim praxis huius Sacræ Congregationis, & laudabile solitum Sanctæ Sedis, illud sit, quod vbi *Electus non patitur defectus personales, & nullitas proueniat a Iuris subtilitate, adeoùt actus non redoleat turpitudinem, seù machinationem, Sac. Congregatio soleat nullitatem sanare* sunt verba *Card. de Luc. de regul. disc.* 11. *num.* 12. quod prius adnotauerat *in dis.* 1. *num.* 95. ibi = *Sæpiùs contingit, vt electio quamuis de stricta Iuris censura inualida censenda sit, adhuc tamen quandoque reualidari soleat, vbi non ex vitio Personæ, minusque ex vitio culposo, seù peccaminoso actus, sed ex sola Iuris subtilitate nullitas proueniat* = Eo ipso, quod electio Principalis in Prouincialem d. infelicissimo tempo-

re

re cum tali, tantaque publicitate sanata fuit, omnibus ad iustitiæ, & prudentiæ normam libratis in statera artis iudicij huius Sac. Congregationis plusquam euidenter remanet demonstratum, defectus dictæ electionis non prouenisse à personalibus vitijs, minusque à culposis actibus, & machinationibus, sed à sola iuris subtilitate.

46 Et propterea cum omni fundamento credimus non esse hodie insistendum in calumnijs tunc temporis gratis vbique exageratis aduersus optimam famam, & religiosissimam vitam Principalis cum scartafacijs tunc temporis diuulgatis *nimia liberalitate, & licentia, nec sine graui charitatis, iustitiæque iniuria* sunt verba *P. Vitelleschi Præpositi Generalis Societatis Iesu in epistola ad suos Religiosos fol. mihi* 4013.

47 In omnem verò casum attentis probationibus tunc temporis fa-
48 uore Principalis adductis, ex quibus eædem calumniæ in nulla consideratione habitæ fuerunt, applicarentur verba illa *Cassiod. lib.*4. *epist.*44. scripta Episcopo Polensi, *Sanctitatis vestræ animus non grauetur, nec se fallacibus verbis doleat accusatum, quia multo maior est opinio purgata, quam si desinentibus querelis non fuerit impetita.*

49 Necnon applicaretur optima illa reflexio *Sac. Rotæ in decis.*24. *num.*7. *coram Ansald.* quod scilicet quandò Testes deponunt in vno iudicio, si in illo, illorum depositio non fuit habita in aliqua consideratione, multò minus, & absque vlla difficultate non merentur, attendi in alio, & concordat *Card. de Luc. de fideicom. disc.*92. *num.*24.

Quare &c.

Dominicus Vrsaya) Aduocati.
Marianus Soccinus)
Gaspar Petraglia.

Sac. Congreg. Episcop. & Regularium
Emo, & Rmo D. Card.
S. AGNETIS
PONENTE
Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Betbicæ.
PRO
Rmo P. Didaco Thoma de los Rios, & litis.
CONTRA
R. P. Iosephum Gonzalez Sandoual.

Restrictus Facti, & Iuris

Typis Zinghi, & Monaldi 1726.